

sertim Græcis quamlibet sonabat impositionem manuum. Ac 1^o. pro impositione manuum ordinaria sumit EPIPHANIUS hæc. 75., et in fine Panarii ordinationem Episcopalem referens idem vocabulum adhibet. Quin *χειρας ἐπιθεῖν* usurpatur Act. 6. v. 6., 1. ad Tim. 4. v. 14., 2. ad Tim. 1. v. 6. idemque observat Petavius Lib. 2. de Hierarch. Eccles. c. 6., Cangius in Glossario, aliique. 2^o. Pro nuda benedictione Episcopi vel presbyteri, quæ fieri elevata manu solet, dum datur populo, accipit Aristæus ad Can. 106. Conc. Carthag. 3^o. Impositionem manus reconciliatoriam, vel benedictionem, qua recipiebantur redeuntes ad Ecclesiam Episcopi cum susceptis jam ordinibus, importat apud Tharasium Patriarcham Constantinop. Act. 4. Synodi generalis VII. 4^o. Synodus gen. I. Nicæna Can. 19. de Diaconissis agens, earumque consecrationem non esse veri nominis ordinationem monens, eadem voce utitur.

At, si recentiores Græcos adimus, *χειροθεσία* *chirothesia* ab iis modo magis restricte sumitur, ut vel impositionem manus tantum ceremoniam sonet; vel non nisi ad exprimendas ordinationes Diaconatu minores inseruiat, ut notant Jacobus Goar in Euchologio pag. 239. et 257., Bingham, Orig. Eccl. vol. 11. L. 4. cap. 6., item Bevereg. et Cangius citati; tum paulo ante ex Simeone Thessalonicensi, scriptore Græco vidimus.

7. Cæterum ordinationem e numero sacramentorum novæ Legis hodie expungunt Lutherani et Calvinistæ omnes; tametsi eorum majores circa hoc dogma variaverint. Equidem Lutherus ordinem esse verum sacramentum constanter negabat, præsertim L. de Captiv. Babyl. c. 7. de ordine, quem secuti Melancton in editione prima Locorum communium: Illyricus in Confess. Antuerpiensi: Kemnitius parte 1. Exam. Syn. Trident. Negavit et Calvinus, duo tantum sacramenta recensens, Baptismum et Eucharistiam; at postea Inst. Lib. 4. cap. 14. sect. 20. et cap. 19. sect. 31. ordinem verum novæ Legis sacramentum pronuntiat, seque idcirco duo tantum statuisset sacramenta inquit, quod de iis tantum ageret, quæ Ecclesiæ toti et Christianis omnibus essent communia. Sed et Lutherani olim in Apologia Confess. August. ad artic. 13. ordini locum inter sacramenta concedebant; quin et Melancton postea in posterioribus, ordinem sacramentis accensuit. Cæteros eorum errores circa dogma de sacramento ordinis, suo quosque loco referemus.

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

8. Subversionem catholici dogmatis de existentia sacramenti ordinis relati ante Novatores A catholici velut e longinquo moluntur. Pernegant dari in Christi Ecclesia ordinem ministrorum hierarchicum, seu statum quemdam ministrorum a laicali sive populari distinctum: aut si quid discriminis clericos inter et laicos ponatur, totum id, quantum est, ab arbitraria hominum institutione profluere. Quod, inquit Luther. Lib. de abrog. Missa privata ad illud S. Petri: non dominantes in cleris, *nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit, ut clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio*: et infra: *hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta: nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus*. Eodem modo Calvinus loquitur L. 4. Instit. c. 4. *Appellatio, cleri, aut errore, aut certe ex prava affectione nata est, cum tota Ecclesia clerus, id est hæreditas Domini a Petro dicatur*. A quo tempore discrimen clericos inter et laicos in Ecclesia obtinuerit, posteriores nostri temporis scriptores Protestantium non omnino conveniunt. Ad primum Ecclesiæ seculum refert illud Joseph Bingham, vir Anglicanæ addictus Ecclesiæ, in præstantissimo opere de Origin. Eccles. L. 1. c. 5., Moshemius Inst. Hist. Eccl. sec. 1. p. 2. sect. 1. cap. 2. aliique. Contra vero Boehmerus. Dissert. ad Tertullian. quæ est inter ejusdem Diss. Jur. Eccles. Lipsiæ editas 1711. ordine 5. quam Illustrissimo de Marca opposuit, discrimen illud enatum non ante Tertulliani tempora sec. III. contendit; etsi cætera in hoc convenient distinctionem status ecclesiastici et laici non juris aut institutionis divinæ, sed humanæ esse; nimirum conformiter capitali Protestantium systemati, quod primus Lutherus L. de captiv. Babyl. construxit: Ecclesiam esse societatem, sive collegium æqualium, cui sacrorum potestas in communi concessa sit, quam Pastores non nisi ex consensu populi exerceant; ut proinde nihil habeant principatus et imperii in populum, sed ministerium nudum, sive exercitium a populo concessum. A quo tamen tam adamato alias Protestantibus systemate eatenus recessere scriptores eorum alii, qui sacram potestatem in uno eodemque summo imperante ex natura et indole summi Imperii esse consociatam volunt, a quo Ministris cæteris delegetur. Ita Christian. Thomasius in cautelis circa præcognita Jur. Eccl. c. 18., Henric. Henniges de summa Potest. Imperator. circa sacra c. 2. aliique a Thomasio *Thomassiani* appellati.

Quare, quo adversarios e vestigio sequamur, cap. 1^o. de hierarchia Ecclesiastica, sive Ordine sacro hierarchico ministrorum Ecclesiæ, a laico peni-

tus distincto; 2°. de Ordine, in quantum est novæ Legis sacramentum, agemus; præmissa tamen de hoc sacramento summa doctrinæ catholicæ ex Conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

*Decretum concilii Florentini de sacramento Ordinis sub Eugenio IV.
an. 1439. pro Armenis.*

Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*: et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

*Canones concilii Tridentini de sacramento Ordinis Sess. 23. die 15. Julii
an. 1563. sub Pio IV.*

I.

Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile, et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a vjris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et sacramentorum; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopus dicere: *Accipe Spiritum sanctum*; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis ceremonias; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, Episcopus non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

CAPUT I.

DE ORDINE SACRO HIERARCHICO MINISTRORUM ECCLESIE A LAICO
STATU PENITUS DISTINCTO.

9. Uti Protestantibus Ecclesia nonnisi æqualium societas vel collegium est, ita e contra Catholicis inconcussum veritatis dogma est, Ecclesiam societatem esse inæqualem ex *imperantibus* et *subditis* compositam, in qua sacrum principatum tenent cleri, ita tamen, ut et inter eos diversi majoritatis et obedientiæ gradus sint, laicis, cujuscumque sint dignitatis ac ordinis, *in spiritualibus* sola relicta obedientia gloriæ. Appellatur hic sacer principatus, derivato a græcis nomine, *Hierarchia Ecclesiastica*; quæ definiri in genere potest: *Potestas a Deo instituta, et personis sacris eum in finem legitime collata, ut in Ecclesia Christi ministerium et regimen exercent.* Unde dupli-

cis generis Hierarchia se prodit : alia est *ministerii* seu *ordinis*, alia *jurisdictionis*. Prior vel proxime, vel remote circa corpus Christi verum, sive SS. Eucharistiam versatur : posterior circa corpus Christi mysticum, omnem clavium potestatem suo ambitu complectens. Personæ sacræ ex prima Hierarchiæ specie quæ potestatem SS. Eucharistiæ mysterium conficiendi acceperunt, dicuntur esse in sacerdotio, ut *Episcopi* et *Presbyteri*; aliæ in ministerio tantum; eæque vel in *majoribus ordinibus*, sive *sacris*, ut si aut diaconatus gradu, aut subdiaconatus insignitæ sint, quæ conficienti propius ministrant; vel si ministrant remotius, in *ordinibus minoribus*, quo pertinent *Ostiarii*, *Lectores*, *Exorcistæ*, *Acolythis*, quibus singulis ad Hierarchiam per *primam tonsuram* via parari debet. Omnes ordinem efficiunt, qui ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ dicitur, item passim ordo clericalis, vel uno verbo, clerici. Et de his nunc sequentes moventur controversiæ in Doctorum Protestantium gratiam : I. Utrum ministri Ecclesiæ recte appellentur clerici, et clericorum a laicis discrimen semper fuerit in Ecclesia, etiam primis duobus seculis? II. Utrum hoc discrimen juris divini sit, adeoque totus ordo hierarchicus ministrorum ex institutione divina ortum ducat? III. Annon saltem ex jure divino competat laicis electio ministrorum Ecclesiæ? quas sequentes enodabunt articuli.

ARTICULUS I.

UTRUM MINISTRI ECCLESIE RECTE APPELLENTUR CLERICI, ET ALIQUOD CLERICORUM A LAICIS DISCRIMEN SEMPER FUERIT IN ECCLESIA, ETIAM PRIMIS DUOBUS SECLIS.

10. *Nota.* Vocabula, *clerici*, *laici*, licet jam pridem latio donata, græcam habere originem; in vulgus enim notum est idem esse *λαόν* græcis, quod populum latinis; ac similiter idem illis esse *κλήρον*, quod sortem et hæreditatem nobis. Inde igitur laici compellati sunt, quasi plebei, aut populares, quibus nihil functionis Ecclesiasticæ demandatum; clerici vero velut Domini sors, et hæreditas, qui consecrati divino cultui, ad rerum sacrarum curam, et Ecclesiastica ministeria suscepti. *Clericus*, ait S. Hier., epist. ad Nepotian. (opp. t. 1. p. 258. edit. Vallars. et Maffei.) *interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur; si enim κληρος græce, sors latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est.* Sortis autem nomine etiam hæreditas venit, quod hæreditas in plures plerumque dividi sorte soleat. Ac licet ad unum duntaxat pertingat hæreditas, id tamen sæpiissime etiam sorte fit, quod plerumque nascantur hæredes, non fiant. Unde et juxta alios ex simili ratione Ecclesiasticis clericorum nomen adhæsisse dici potest, quod ad Ecclesiasticum ministerium sint sorte assumpti, uti Mathias olim ad Apostolatam. Cæterum ut Ecclesiastici ministri appellentur clerici non placet nostri ævi sectariis; adeo enim statum ipsum clericorum oderunt, ut etiam nomen execrati sint. Lutherus Lib. de abrog. Missa priv. et Calvinus L. 4. Institut. cap. 4. sect. 9. impia traditione, et errore factum dicunt, ut illud nomen inderetur ministris

Ecclesiæ, quam avorum suorum vocem repetunt etiamnum juniores Protestantes. At

11. *Dico I.* Ministri Ecclesiæ recte appellantur clerici.

Prob. I. Ex Scriptura S. Nam Jerem. 12. de veteris Ecclesiæ ministris loquens Deus, juxta versionem LXX. et *cleri*, ait, *eorum non proderunt eis*, id est, si officium suum negligant, non ideo salvabuntur, quod in hæreditatem Domini peculiariter adsciti sint per vocationem ad ministerium, hoc enim ibi significare, quod hebraice dicitur *neqlou*, i. e. *hæreditatem adierunt*, pro quo LXX. verterunt *cleri eorum*, testantur inter omnes pene Ecclesiæ Patres hebraici et græci idiomatis peritia nominatissimi: Origenes qui homil. 7. in Jerem. (al. 11. opp. t. 3. p. 189. B. C. edit. Ruæi.) verba relata sic exponit: *Hæc, cleri eorum non proderunt eis, ante me alii exposuerunt, et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero: nos, qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis Ordine præsidemus, in tantum, ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis, non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus; multi enim et presbyteri pereunt, et laici beatissimi reperiuntur.* S. Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolymit. (opp. t. 2. p. 312. A.) *Oportebat, inquit, nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, et observatione diligentissima hoc esse, quod dicimur; si enim S. Scriptura loquitur, cleri eorum non proderunt eis, quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione et sensu, verum etiam sermone peccamus?* S. Hieronymus in Comment. ejus loci (opp. t. 4. p. 929. B.) : *Dicitur, ait, hoc et Ecclesiasticis qui verba Domini, et doctrinam ejus mala conversatione disperdunt. De quibus infertur, cleri eorum non proderunt eis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen, et Presbyteri, vel reliquis Ordo Ecclesiasticus, cum magis graventur dignitatibus suis, etc.* Cur igitur, quam ministris Ecclesiasticis in Scriptura Spiritus sanctus ipse tribuit prærogativam, proprio vocabulo non significemus?

Prob. II. Ex auctoritate Patrum, et ipsa re, quam per id vocabulum significamus; nam antiqui Patres ut in Concilio Nicæno Can. 1. 2. 3. 8. 17. 18., item ante relati alique ministros Ecclesiæ soliti fuerant appellare *clericos*; at maxime impium est dicere, id eos errore, impiaque traditione fecisse. Deinde ne ipsi quidem Protestantes negare possunt, ministros Ecclesiasticos peculiari quadam ratione destinatos esse ad divinum obsequium, atque adeo singulari quodam modo ad curandam atque excolendam hæreditatem Domini, sive Ecclesiam, quid igitur prohibet hoc ipsum eorum munus appellatione idonea exprimere?

12. *Dico II.* Jam a prima Ecclesiæ origine, adeoque ante Tertulliani, qui initio seculi III. florere cœpit, ævum, clericos inter et laicos discrimen fuit. Abstrahit adhuc conclusio, ex quo jure hoc discrimen ortum ducat, de quo art. seq. ex quo etiam probationes ex Scriptura sacra petite huc jam trahi possunt. Adeo vero conclusio hæc duorum priorum Ecclesiæ seculorum, quibus modo maxime eam probamus, testimoniis nititur, ut mirum videri debeat, potuisse ab adversariis negari. Igitur

Prob. I. Ex CLEMENTE Romano, seculi I. scriptore, et summo Pontifice,

et anno Trajani tertio martyrio coronato, qui in priore ad Corinthios epistola, apud Cotel. Patr. Apost. vol. 2. pag. 170. Ecclesiastici ordinis viros clare secernit a laicis, *summo*; inquit, *Sacerdoti sua munia tributa sunt et sacerdotibus locus proprius assignatus est: et levitis sua ministeria incumbunt: homo laicus præceptis laicis constringitur*. Atqui hic non re solum, sed et nomine laicos ab Ecclesiasticis Clemens distinguit, quos sibi invicem opponit; epistola vero hæc ab omnibus semper habita fuit authentica, etiam ab adversariis, ejusque mentionem faciunt passim veteres Patres ut epistolæ gravissimæ, et illi S. Pauli ad Hebræos quam simillimæ, S. Irenæus L. 3. cap. 3., Clemens Alexandrin. L. 7. stromat., Eusebius L. 3. Histor. cap. 12., S. Hieron. L. de Scriptor. Eccles., quidquid sit de epistola Clementis, quæ secunda ad Corinthios dicitur, quæ neque extat, neque probatur ab Ecclesiis, teste S. Hieron. loco notato.

Respondet Boehmerus, cumque eo alii, Clementem hæc non de Ecclesia, sed veteri Testamento scripsisse, eoque exemplo hortatum Corinthios, ut, ad evitandam confusionem, omnia ordine facerent, sicut apud Judæos erant distincta personarum munera, inde vero non sequi, esse similiter inter Christianos diversitatem statuum, cum ne mentio quidem clericorum a Clemente fiat.

At contra est, quod, etsi allata verba de clericis et laicis veteris Testamenti dicta sint, Clementem tamen aperte eo diversitatis inter Judæos exemplo illud unice contendere, esse talem distinctionem multo magis in Ecclesia: estque hoc Clementis argumentum velut a minori ad majus: in veteri Testamento apud Hebræos erat talis statuum diversitas, et sua Synagogæ hierarchia; ergo multo magis illa est in Christi Ecclesia.

Patet hoc ad oculum legenti epistolam ex hujus scopo, et iis, quæ Clemens subjungit. Nimirum seditio erat inter Corinthios, dum Episcopo, aliisque ministris sede et loco, etsi ab Apostolis ipsis constituti essent, pulsus, alii involarent in ministeria. Ut proinde eos ad pacem reduceret, ostendit 1º. etiam in veteri Lege fuisse illam diversitatem statuum et munerum, quam turbare, involando alterius munus, scelus erat morte piandum; in nova vero Lege graviore pœna id dignum esse. En verba: *Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu* (ergo diversos in Ecclesia status supponit) *gratias Deo habeat... Non ubique offeruntur sacrificia jugia, vel votiva. Sed Hierosolymis tantum; atque illic non in omni loco fit oblatio, sed ante templum et altare, prius facta a summo Sacerdote et prædictis ministris oblata inspectione... Qui ergo præter id, quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, morte mulctantur. Videtis, fratres, quo majori cognitione digni habiti sumus, eo periculo magis obnoxii sumus*. Sensus est: Si in veteri Lege morte mulctaretur, qui limites sui status egrediens involaret vel in Levitarum, aut summi Sacerdotis munus, quanto magis id in nova Lege tenet?

2º. Refert deinde, quomodo Apostoli a Christo, ab Apostolis autem Episcopi, Presbyteri, Diaconi, suo cuilibet assignato officio, sint constituti: *Neque hoc novum est*, inquit, *a multis enim temporibus de Episcopis et Diaconis scriptum fuerat; sic enim alibi Scriptura refert: Constituum Episcopos eorum in justitia, et Diaconos eorum in fide, Is. 60. v. 17. Et quid mirum si, quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, prædictos constituerint?* Unde

3º. Postquam ad unitatem eos esset hortatus, ac consilium dedisset illi, ob quem orta fuerat seditio, sponte cederet, *solum ut ovile Christi in pace degat cum constitutis Presbyteris*, reprehendit Corinthios. *Neque enim leve erit nostrum peccatum, si eos Episcopatu privaverimus. Beati Presbyteri, viam prius emensi, etc.*; monet eos agere pœnitentiam, et esse Presbyteris subditos: *Vos ergo, qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote Presbyteris, et in pœnitentiam corripimini*. Sed nihil evidentius, quam asseri hisce a CLEMENTE Ecclesiasticum statum, sive clerum ex Episcopis, Presbyteris et Diaconis constantem, distinctumque a laicis; imo hos illi subjectos; ac proinde non de veteri solum Lege loquitur; sed ad ejus imitationem esse in Ecclesia diversitatem statuum divinitus institutam contendit.

13. *Prob. II.* Ex S. IGNATIO M. sec. I. cujus testimoniis nihil evidentius, cum in epistolis suis plerisque id velut ex instituto intendat, ut inculcet, esse obtemperandum Episcopo ut Christo; Presbyteris ut Apostolis. 1º. In epist. ad Magnesianos (Patrum Apostolicorum opp. edit. Hefel. 1847. p. 177. et seqq.) postquam singillatim nominasset *Daman* eorum Episcopum, *Bassum* et *Apollonium* eorum Presbyteros, *Sotionem* Diaconum, vult hoc esse debere eorum studium, ut in Dei concordia omnia agant, *Episcopo præside* *Dei loco, et Presbyteris loco senatus Apostolici, et Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi... quemadmodum Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus, ita neque ipsi sine Episcopo et Presbyterio*. Igitur juxta S. IGNATIUM Episcopi et Presbyteri in locum Christi et Apostolorum successerunt: atqui Apostoli certe a plebe reliqua discreti erant. 2º. Epist. ad Trallianos (ibid. p. 191.) idem inquit: *Cum enim Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo... necessarium est, ut sine Episcopo nihil agatis. Sed et Presbyterio subditi estis ut Apostolis... Cuncti similiter reverentur Diaconos*. Sic et Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum distinctam mentionem facit epist. ad Philadelph. ac epist. ad Ephes. hos laudat, quod una fide obediant Episcopo et Presbyterio. Adeo luculenta sunt ista S. Ignatii testimonia, ut, cum in pravum sensum deflecti non possint, negent adversarii esse genuinas S. IGNATII epistolas, imo pernegent, ullas unquam ab eodem scriptas fuisse; sed inepte, ut eo potius desperatione adducti videantur, quam fundamento aliquo, ut ex responsis ad objecta patebit.

14. *Prob. III.* Ex aliis Patribus et monumentis. 1º. Ex actis martyrii S. IGNATII, de quorum authentia, teste RUINARTIO in Actis selectis §. *Martyrum* pag. 7. et 13. edit. Amstelod. nunquam dubium fuit. Ea vero perhibent, (PP. Apost. opp. p. 251.) quod cum S. IGNATIUS Smyrnam discessisset videndi S. Polycarpi gratia, eum Smyrnenses exceperint *per Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos*, idemque fecerint civitates aliæ. Hi ipsi porro ibid. dicuntur *rectores, præfecti Ecclesiarum ἡγούμενοι*; quod idem versio latina habet ab USSERIO edita. 2º. S. JERINUS M. qui sec. II. floruit, Liturgiam describens inquit, apol. 2. (opp. p. 97. C.) *Deinde ei qui fratribus præest προσετῶτι, panis offertur, et poculum aquæ et vini... postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus λαὸς acclamat... qui apud nos vocantur Diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt*. Postea et *Lectoris* meminit. 3º. His addi possunt HEGE-